Codice scheda: ASC A4520268 (Microscheda: 3912C1/2)
Luogo e data: TORINO - 07/05/1895
Autore: RUA MICHELE
Destinatario: LEONE XIII
Classificazione: Rua: Corrispondenza con S.Sede
Tipo documento e supporto: Corrispondenza in genere - Manoscritto
Autenticità: Firma autografa

Contenuto: Indirizzo d'omaggio al Papa in ringraziamento della Lettera Apostolica, in apertura del Congresso Salesiano di Bologna [Testo in lingua latina].

66 - I

Beatissime Pater,

Mense aprili nuper elapso, die vigesimo tertio, quarto et quinto, ut optime nosti, Bononiam primum, auctore potissimum Domino Svampa, Patre Cardinali, eiusque civitatis Archiepiscopo, frequentissimi in concilium convenerunt, quos nostros in Domino adiutores appellamus. Deus vero, cuius auxilium, Pater sanctissime, effusis precibus nobis illic aditantibus implorare voluisti, praeter meam omniumque fidem, illo tempore benignus adfuit.

Hinc factum est, ut, quod antea timidius ~~modo~~ erat in votis, illic iam palam, libero prorsus ore, omnibus adclamantibus eloqui potuerimus, nunc de iuventute recte in literis instituenda, nunc de opificum conditione hisce praesertim temporibus apud nos christiano more promovenda. Insuper, ut obiter dicam, quoniam ~~[illegible]~~ animarum studio, Pater noster aestuans, sacras expeditiones apud americanas plagas saepe saepius promovit, ut Italis nostris qui angustiis pressi, in tam longinquas illas regiones peterent, rerum humanarum desiderio abrepti, fidem paternam assereret, et indigenae, qui adhuc ab omni cultu alieni vivebant, christianam tandem sapientiam docerentur. † Sanctissimus enim Pater filiis suis, qui in sacris expeditionibus versarentur populis ad pietatem ~~excolendis~~ ~~[illegible]~~ hoc unum proferebat celeberrimum verbum: Da mihi animas, cetera tolle!

Unum adhuc restabat ut Conventus Bononiensis diligenter expenderet quid de libris edendis, atque in vulgus maxime diffundendis esset faciendum, quid et de ephemeridis, ut veluti a fonte rivulus quidam sapientiae in populos diffueret. ‡

Et adiutores nostros, quos recte quasi ~~[illegible]~~ Tertii Ordinis sodales appellamus, ut funiculus triplex difficile rumpitur, fortiores validioresque evasuros esse aliquando confido.

Dum vero animus meus gaudio in primis gestaret ob praesentem illum reipublicae christianae nobilem triumphum, etiam atque etiam gratias Deo agendas nobis esse cogitabam, quod ipsa re nata, admirabilique rerum successu, praescienti suo consilio disposuisset, ut quae Pater noster legifer, abhinc quatuordecim et amplius annis nobis futura praenuntiare consueverat, tandem nos omnia ex ordine accidisse videbamus. ~~Ita, Beat...~~

~~Ita, Beati~~ssime Pater! Nam ipse confidentissime, qui sunt semper fuerat nos, cum nobis quadam die communicabat quae mox vel proxime filios suos manerent! Cum ventum esset ad annum nostrum, exclamavit: Tunc magnus erit nobis triumphus! ~~Quod autem ...~~

~~Quod autem~~ hoc factum sit, dum Tu, Beatissime Pater, ad rerum divinarum gubernacula sedes, nosque peramanter diligis, in primis gratulabor.

Ipse Bononiensis conventus est nobis lata laetiorque[illegible] prosperarum fiducia. Aderant enim quatuor Cardinales, triginta episcopi, et omnes fere Italiae Praesules, quos rerum necessitas longe retinuerat, datis literis, amplissime fausta quaeque sodalibus nostris ominabantur.

Nil mirum sane si in singulis tot hominum cordatiorum conventibus, tribus illis diebus labentibus, supremus ordo, maximusque animorum consensus dominaretur, et universi

Margin notes:

† solummodo

† Sic viri excellentissimis in disceptationem quaestionemque vocarunt, qua melius nostri in illis regionibus degentes rem factum perficerent. † coeterisque

‡ Quaequidem doctissimo consilia, studia, sententias, quotidianas ut nostris ~~[illegible]~~, pro locorum hominumque conditione, adservent pro viribus faciam. Et hinc...

?

3912 C1

cives, vel illi qui ~~falso~~ a nobis dissentirent de religione, deque populis hic in terris ad humanitatem fingendis, nihil omnino ab urbanitate alienum atque absonum patraverint, quin imo inter se erga nos officiis certare videbantur.

Deo sint ergo gratiae perquam maximae, qui rebus nostris praesenti suo consilio ita favit, ut omnia ex voluntate successerint; gratiae et Tibi, Beatissime Pater, qui vel ab initio Bononiensis Conventui ita gratulari voluisti, eiusque Auctori, datis suavissimis literis, a Deo bonum opus omnibus es auguratus, ut non modo spem [aliquam] de exitu ~~haberemus~~, sed fiduciam haberemus. Ad pedes Tuos provolutus, dum benedictionem apostolicam pro omnibus qui meum Salesianorum familiam adiuvant et pro cunctis et singulis Salesianis a Te, Beatissime Pater, enixe postulo, quod ~~[illegible]~~ hanc nactus opportunitatem, meam [possim] in Te, atque in Petrianam sedem, venerationem ac voluntatem profiteri, admodum gaudeo.

Datum Augustae Taurinorum
Ipsis Nonis Maji a. r. s. 1895

Humillimus et Obedientissimus in Ch. Filius

A4520268

ARCHIVIO SALESIANO CENTRALE

3912 C2